

Philippus Carducius capitaneus

76

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Philippus Carducius capitaneus

76

1490-10-12

Filippus Carducius, regius capitaneus civitatis Mathere, tibi Carlucio de Mirabella, tubiete(*sic!*), nuntio iurato et servienti nostre curie salutem et diligentiam in commissis.

Scire te facimus per presentes quod superioribus diebus, dum curiam regeremus,... coram nobis comparuit... Iohannes Franciscus de Scalzonibus de civitate Mathere et nobis et nostre curie quoddam instrumentum presentavit, in quo continetur debere recipere et habere a quondam Thomasio de Lavello uncias sexaginta et tarenos viginti... ex resta dotium promissarum eidem Iohanni Francisco per dictum dominum Thomasium, petensque... dictum instrumentum debite executioni demandari bonis et super bonis hereditatis ipsius Thomasii. Nos... volentes indemnitati eiusdem Iohannis Francisci providere, decrevimus fore et esse citandas... Iulyam (*sic!*) et Hyeronimam filias ipsius Thomasii, et sic citatis dicta Iulia et Hyeronima, que cum consensu et auctoritate Nicolai Aromatarii constituerunt... eorum... procuratorem notarium Andream de Passarellis, qui pro ipsis... responderet dicto instrumento. Qui... notarius Andreas... comparuit et lecto prius sibi dicto instrumento, qui dixit quod est paratus satisfacere nomine suarum principalium eidem Iohanni Francisco de dicto minimo de bonis hereditatis dicti Thomasii pro mensura debiti declarandi. Et liquidato dicto instrumento per ipsum Iohannem Franciscum medio iuramento, qui dixit et deposuit debere recipere et habere iure iurando de dicta resta dotium ducatos ducentosnonagintaseptem et tarenos quatuor, hodie vero comparuit dictus Iohannes Franciscus et cum maxima instantia petiit dictum instrumentum execuutionhi (*sic!*)/demandari;

tenore presentium commictimus et mandamus tibi qui supra quatenus, habitis presentibus, ad omnem requisitionem dicti Iohannis Francisci te personaliter conferas ad dicta omnia et singula bona hereditaria dicti quondam Thomasii, ubi reperiri contingeris et eundem Iohannem Franciscum in corporalem poessionem tantorum bonorum dicte hereditatis que ascendant ad summam dicte pecuniarum quantitatis dicti debiti declarati, ipsumque positum et inductum manuteneas ope, opere, auxilio, consilio et favoribus oportunis a quibuscumque forte inquietantibus et molestantibus, incipiendo tamen a mobilibus et eis non existentibus vel sufficientibus ad stabilia, ipsaque capta debitis substationibus plus efferenti traddas et assignes pro dicto debito usque ad integram satisfactionem nec [non] pro expensis legitime factis, si autem reperiri non contingerit emptorem aliquem, in solutum pro soluto assignebis eidem Iohanni Francisco, extimatione prius facta per aliquos probos viros idoneos conditionem ipsorum bonorum scientes et cognoscentes, usque ad satisfactionem debiti prefati, adhibitis tecum iudice notario et testibus quod de predictis omnibus ad tuam requisitionem vel ipsius Iohanni Francisci in solutum dicta bona recipientis actum in puplicam formam reddigat ex quo extrahi possit puplica instrumenta pro partium cautela.

Datum Mathere, die duodecimo Octobris, none indictionis, MCCCCLXXXX.